



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 110. Connubium Britanniaë Ducissæ cum Romanorum Rege.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

la crebris tumultibus jactaretur; qua-
 propter Angli comperta rerum confusio-
 re ignari, cujus esset jussa dare, aut a
 quonam munitiones aut belli tor-
 menta petere deberent, mare tra-
 jicere, ac Britanniam relinquere coacti
 sunt, cum tamen haud majoris molimi-
 nis rem confecissent, quam quod ultimum
 hujus regionis excidium compleverint.

Sæcul. XV.
 A.C. 1489.

§. CX.

*Connubium Britannicæ Ducissæ cum
 Romanorum Rege.*

Britonum dissidia haud parum creverant
 illorum, qui nuptias Britannicæ Du-
 cissæ ambiebant, æmulatione; quivis
 enim eorum in aula suos numerabat fau-
 tores. Inter illos, qui Ducissæ connu-
 bium efflagitabant, Britannicæ hæredi-
 tatis spe allecti, præcipui erant, Caro-
 lus VIII. Galliarum Rex, Maximilianus
 Rex Romanorum, Aurelianensis Dux,
 & Albretus; hos inter Romanorum Rex,
 cum esset viduus, atque ex primo con-
 nubio filium suscepisset, a nuptiarum spe
 remotior credebatur; verum cum esset
 nonnisi triginta annos natus, atque exi-
 mia corporis specie præditus, nec non
 forma plane regia inter omnes ævi sui
 Principes longe emineret; cumque Ar-
 chiduci ejus filio molior ac delicatior
 esset

Sæcul. XV. A.C. 1489. esset corporis habitudo, nec ejusmodi
 connubium ac foedus Angli suspectum
 haberent, hinc potissima Procerum pars
 Maximilianum aliis præferendum cense-
 bat. Quapropter Rivenarum Marescal-
 lus Maximiliano addictissimus ad eum vi-
 ros omni fide dignissimos ablegabat, qui
 asseverarent, Maximiliano integrum esse,
 ad nuptias cum Ducissa Hærede ineun-
 das in Britanniam contendere, nec aliud
 ab eo exigere, quam ut apparatu tanti
 Principis digno instructus compareret:
 ergo Nuptiarum pacta cum Ducissa eri-
 guntur. Verum Imperator avaritia cap-
 tus filio suo omne pecuniarum subsidi-
 um denegavit, ac insuper, ne ullis sum-
 ptibus succumberet, haud concessit, ut
 Maximilianus mox ipse in Britanniam
 pergeret, sed duntaxat cum aliis Lega-
 tis Oratorem misit Wolfgangum de Bol-
 heim, qui Regis Romanorum nomine
 cum Britanniae Ducissa nuptias contra-
 xit. Tota res tam religioso agebatur si-
 lentio, ut ne ipsa quidem Borbonii Du-
 cissa ejus notitiam acceperit.

§. CXI.

*Papæ conatus in conciliandis Franco-
 rum & Romanorum Regibus.*

*Vialard. in
 vita Innoc.
 VIII.*

Sub idem ferme tempus, conciliatore
 Innocentio Papa, Maximilianus pa-
 cem